



Ad Lectorem.

Falsos & veros Prophetas, bonos & malos homines, ex bonis vel malis operibus comprobari, non aliter planè quàm arbores ex fructibus, ait veritas Christus Matth: 2. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Omnis arbor bona, bonos fructus facit, mala autem arbor, malos fructus facit, igitur ex fructibus earum cognoscetis eas: nimirum Terras etiam, ac mundi Regiones ex Arboribus ac earum fructibus, bonas vel meliores, malas vel peiores, ex hoc pulcherrimo ratiocinio cognosci posse compertum est. Oculis tuis, humanissime Lectori Sinarum & Indiarum præcipuos fructus & arbores depictas proposui, de Terrarum ac Regionum qualitate, verosimilem ex illis, credo, poteris habere conjecturam. Sed illud imprimis animadvertas oportet; quòd Tellus Orientalem Indiarum, ac ferè totius Zonæ torridæ, quæ Cancris & Capicorni concluditur Tropici, progenerandis fructibus Europæis, experientia teste, minus idonea reperitur, sive enim adferantur teneræ plantæ, sive terris semina commendentur, aut nullos fructus producant, aut plerosq; degeneres, in odore, sapore, magnitudine, alijsq; proprietatibus; idipsum in lactucis, herbis & oleribus, ex Europæis evenire seminibus jam est exploratum, longè minora progenerant, sæpius semen ex illis collectum, aliud ejusdem speciei individuum nequit progignere, fortè quod prolifica virtus exilis ab Indica tellure suffocetur; Sinarum autem feracissimus ager, non indicos duntaxat, in Australibus potissimum Regnis, sed Europæos omnes egregiè, & quosdam alios proprios sibi fructus producit abundanter. Pulcherrimam illorum varietatem in Quindecim vastissimis Regnis incolæ admirantur, siquidem per universum Sinicum Imperium, fructus, quibus carent provinciæ, ab alijs accipiunt, quibus verò abundant, alijs & celerrimè & facillime subministrant, quo fit ut anno ferè integro recentes, maximè ubi frigida riget hyems, haberi possint, in aliquibus enim Regionibus Novembre, Decembre, Ianuario, Februario, mensibus maturescunt, in aliquibus, Martio, Aprili, Majo, Junio; in aliquibus Julio, Augusto, Septembre, Octobre producantur. Mihi profectò peperit non mediocrem admirationem, multimoda diversitas fructuum, & admirabilis illos producendi ratio, nostratibus omnino dissimilis Arboribus: plerosq; videmus in Europa ex ramis fo-

lia,